

Letter 591: 17 January 1536, Strasbourg, Capito to Ambrosius Blaurer

Printed in Schiess 1:777, Ep. 674.

S. Pertinaciter Bullingerus recusat colloquium, ex quo scribit boni minimum, mali autem plurimum expectandum. Quid istud, obsecro, convenire in Domino in causa eius et iuxta verbum illius ullum dare piis incommodum potest? Iam si non conveniremus, scio, olim multis laboribus ambient, quod ultro oblatum detrectant. Collatio pia plurimum adfert momenti, singularitas ista nihil aliud quam dissidia, ut quisque suus, rarus Christi fuerit. Nos adhuc instamus a fratribus contententes, ut audiamur in Domino de causa et gloria Domini disserturi. Qua fronte negabunt, ipsi viderint; olim istius pertinaciae poenitebit. Vale in Domino et abbatis historiam, si poteris, impetratam per bibliopolam Tubingensem mitte. Gebenna summo in discrimine versatur; fertur ea respublica donata esse in praedam Mysniae tyranno (dem von der Mysß), quem Bernates ferre non poterunt. Gallus Heroaldum ad eos misit; creditur illis laturus suppetias, utinam in tempore ac fideliter. Subrepere in Gallias iam miles videtur nemine ex magistratu illud animadvertente. Bucerus iterum valet. Dominus te servet. Argen[torati], 17 Ianuarii anno 1536.

V. Capito.